

## INTRODUCTIO

### **I. De Francisco Simonetta nuntio et Caesare Baroffi internuntio.**

Franciscus Simonetta inter nuntios numeratur, quibus illa aetate vitam agere contigit, qua publicorum Sedis Apostolicae oratorum institutum, nuntiatura dictum, iam clare definitum et formatum est. Missionem enim suam in Poloniam suscepit regnante Paulo V pontifice maximo, sub cuius pontificatu Secretariatus Status definite tandem constitutus ac formatus est et subiectorum ei ministeriorum agendi normae ac rationes formaliter elaboratae sunt.

Regulae, secundum quas nuntii apostolici designari solebant, eorumque origo, quo scilicet loco et qua stirpe orti et generati essent, accuratiore adhuc investigatione indigent. Tam enim XVI quam XVII saeculo invenimus homines potentissimis Italiae familiis natos, nuntiorum munere fungentes, qui ob ipsam generis claritatem summos in Curia Romana honores et dignitates aliquando se esse adepturos sperare poterant, et qui non raro, iam sacra purpura decorati, Sedis Apostolicae legatorum officia explebant.

Non minus tamen frequentes fuisse videntur nuntii mediocribus, quod ad divitias et potentiam attinet, familiis orti. Homines enim illi initio haud dubie propterea eiusmodi vitae curriculum sibi eligebant, quod id satis commodum, tutum et securum eis esse videbatur. Quo semel electo, pedetemptim superiores dignitatis et honorum gradus modis omnibus consequi conabantur.

Munus nuntii apostolici in Polonia, re ipsa arduum et pro tali ab omnibus habitum, ad superiores semper dignitatum et honorum ecclesiasticorum gradus nanciscendos via optima et idonea videri facile potuit. Haec certo causa fuit, quare eiusmodi munus ac vivendi curriculum Franciscus Simonetta amplexus esset, quem - similiter ac praedecessorem eius, Claudium Rangoni, et multos successores - id genus hominibus procul dubio annumerare possumus.

Nobilis Simonettarum familia ex Calabria originem duxit, ubi sedes eius et domicilium erat Caccuri (prope Catanzaram). Fortunas et opulentiam suam Simonettae debuerunt Francisco Sfortiae, cuius clientes et servitores facti sunt post annum 1418, cum ille, Polixena Ruffo ducta uxore, in possessionem bonorum Caccuri intrasset<sup>1</sup>.

Iam saeculo XV aliqui Simonettarum altiores dignitatis gradus et auctoritatem quandam in re publica consecuti sunt. Itaque Angelus Simonetta (†1472) per multos annos Galeatio Mariae Sfortiae, duci Mediolani, a secretis

<sup>1</sup> Picotti, p. 813.

fuit. Franciscus vero, vulgo Cicco nuncupatus, Angeli nepos, in aula Francisci Sfortiae munere cancellarii fungebatur (1444), deinde erat gubernator civitatis Laudensis (1449) et administrator Sartiranae (1451). Intimus ducis Francisci eiusque successoris Galeatii consiliarius, magna auctoritate in re publica potitus est, post occisionem vero Galeatii (1476) per aliquod tempus rei publicae gubernacula ipse moderabatur, ut deinde iuveni principi Ioanni Galeatio hereditatem tutam ac securam redderet. Paulo post, clandestinis quibusdam consiliis et technis implicatus, ab adversariis ducis comprehensus et a. 1480, iussu capitis eorum, Ludovici Moro, decollatus est.

Una cum Francisco Simonetta, vulgo Cicco appellato, varios fortunae et honorum gradus ascendebat frater eius simulque nuntii nostri proavus, Ioannes († circa 1491) - secretarius ducis et historicus, Francisci Sfortiae vitae scriptor, postea exul Vercellas expulsus.

Saeculo XVI familia Simonetta, quae se interim in duas divisit lineas, Mediolanensem et Parmensem, duobus cardinalibus gloriari potuit, Iacobo (†1539), episcopo Perusino, auctore operis "De reservationibus beneficiorum", et Ludovico (†1568), pontificio ad Concilium Tridentinum legato, futuri nuntii in Polonia patruo. Fratres cardinalis Iacobi fuerunt Bartholomaeus, poeta Latinus, Bernardinus, iuris canonici in Universitate Bononiensi professor, et Alexander, qui a. 1526 a Carlo V imperatore titulo comitis, more solito cum bonis Turicelli coniuncto, auctus erat. Familia, cuius fortunae vicissitudines hic breviter descripsimus, a. 1683, morte Caroli Fabricii, de scaena tandem decedit et exstinguitur<sup>2</sup>.

Franciscus Simonetta, filiorum Scipionis et Margaritae Brippia natu maximus, comitis Alexandri nepos, cardinalis autem Ludovici nepos ex fratre, natus est Mediolani circa a. 1555. Quae de vita eius scire possumus, admodum imperfecta, saepe controversa vel omnino falsa esse videntur<sup>3</sup>. Certum quidem est eum familia satis opulenta procreatum esse et multos fratres ac sorores habuisse natu minores<sup>4</sup>. Prima litterarum rudimenta didicit Mediolani, ubi vestigiis patrum, cardinalis Ludovici, insistens, statum clericalem ingressus est. Inde a puero non vulgaribus ingenii dotibus eum excelluisse ferunt, ita ut satis cito, a. 1580, gradum doctoris utriusque iuris adipisceretur. Anno autem 1591 eum uti videmus titulo "Vicomitis Infulati, Praepositi

<sup>2</sup> Cfr. Garollo, p. 1803; *Lessico universale italiano di lingua, lettere, arti, scienze e tecnica*, T. 21, Roma, p. 99.

<sup>3</sup> Cfr. Argelati, p. 1395; Litta, p. 125; De Daugnon, p. 155-156 (opus non magni pretii, quamquam saepe a viris doctis adducitur); Katterbach, p. 173; paucae mentiones de Simonetta inveniri possunt in opere Ludovici von Pastor (cfr. Pastor SP, p. 496-498). Ad opera Polonica quod attinet, Simonetta memoratur, non semper tamen emendate, in principalibus bibliographiis: (Karol Estreicher, *Bibliografia Polska XIX stolecia*, T. 4, Kraków 1878, p. 245; *Bibliografia Polska Karola Estreichera*, wyd. Stanisław Estreicher, T. 28, Kraków 1930, p. 102; Ludwik Finkel, *Bibliografia Historii Polskiej*, T. 3, Lwów 1906, p. 1855) et Fabisz, p. 203; informationes in eis contentas collegit et repetivit Sobieszczanski, p. 467, cuius textus encyclopaedicus temporibus nostris iam minimi ducitur.

<sup>4</sup> Hieronymus titulum habuit "equitis S. Iacobi", Octavius et Pius erant iuris periti ("iurisconsulti") Mediolanenses.

Basilicae Scalensis", quod significat eum canonicatu in ecclesia collegiata Mediolanensi, vulgo Santa Maria della Scala appellata, donatum esse<sup>5</sup>.

Ignoramus, quo tempore Simonetta se cum Curia Romana artius coniunxerit. Non postremum certo hic habuit pondus familiaritas quaedam eius cum cardinali Friderico Borromeo<sup>6</sup> et successus, quos Mediolanensis noster in litterarum studiis consecutus est. Iam enim a papa Gregorio XIII, ergo non tardius quam anno 1585, nominatus est referendarius Utriusque Signaturae, Paulus V autem, haud dubie extremo vere a. 1606, ad episcopi Fulginatensis dignitatem eum promovere decrevit<sup>7</sup>, capto simul consilio munus nuntii apostolici in Polonia ei committendi.

Difficile est certo statuere, quo scilicet tempore eiusmodi consilium a pontifice initum sit et quo animo ipse nominatus illud acceperit. Aliqua tamen hac in parte ex cardinalis Burghesii litterarum commercio cum Claudio Rangoni, Simonettae in nuntiatura Polona praedecessore, conicere possumus. Iam enim die 3 Iunii a. 1606 cardinalis eum certiozem reddit de summi pontificis consilio nuntii apostolici penes aulam regiam Poloniae commutandi, simulque Franciscum Simonetta, "destinatum episcopum Fulginatensem", futurum eius in nuntiatura Polona successorem appellat<sup>8</sup>. Causa et argumentum eiusmodi mutationis - nescio verum-ne an fictum - fuerunt operae et labores Claudii Rangoni hucusque impensi, quorum meritum praemium ei tribuendum otiique et quietis opportunitas tandem concedenda erat. Postea, per longum tempus, nomen Simonettae in epistulis ad nuntium Rangoni scriptis apparere desinit, iterumque comparet nonnisi mensibus Decembri a. 1606 et Ianuario 1607, cum novo nuntio negotia tradebantur, quae a praedecessore incepta ab eo continuanda erant. Quam negotiorum traditionem cardinalis Borghese e longinqua Roma ipse inspicere eique invigilare nitebatur<sup>9</sup>.

Consecrationem episcopalem Simonetta accepit die 23 Iulii e manibus cardinalis Hieronymi Bernerio, episcopi Albanensis. Ingressum in ecclesiam suam cathedralem celebravit 31 Augusti. Fulginiis - ut ex epistulis hoc volumine publicatis videri potest - novus episcopus solum ad 8 Octobris diem commoratus est, cum - nuntius in Polonia nominatus - ex eis in perpetuum discessit. Tempus ei solum fuit de negotiis ecclesiae suae breviter consulendi aliquos e clero dioecetano - scil. praepositum capituli cathedralis, Ioannem Franciscum Bonavoglia, et canonicos - Severinum Elmi, Iosephum Untio et Onuphrium Eliseo, peragendi visitationem cleri saecularis et regularis et in

<sup>5</sup> De hac re, cfr. Argelati, p. 1395; cfr. etiam Litta, p. 125, et epistularum commercium Simonettae, annos anteriores complectens, quod in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani servatur.

<sup>6</sup> Cfr. infra, N. 1.

<sup>7</sup> Exactus dies nominationis ignoratur, nam acta processus informativi ad hunc episcopatum ad dies nostros asservata non sunt. De die 17 VII 1606 a., qui adducitur in Actis Vicecancellarii (AV, Acta Vicecancellarii 15 f. 24), dubitandum est.

<sup>8</sup> AV, Nunz. Pol. 173 f. 76r.

<sup>9</sup> Cfr. AV, Nunz. Pol. 173 f. 121v, 126r-127r, 128v, 130r, 131r-135r.

## VIII

absentia sua vicarium designandi canonicum Severinum Elmi, qui paulo post Utriusque Signaturae referendarius est nominatus<sup>10</sup>.

Desertis Fulginiis, Simonetta per Senam Mediolanum se contulit, ubi a 27 die Octobris ad 29 Novembris commoratus est. Ibi certo ad manus eius pervererunt "facultates particulares", 17 Octobris Romae conscriptae<sup>11</sup>. Stationem suam Mediolani Simonetta dedicavit officiosae per urbem discursationi, salutatis inter alios cardinali Borromeo et gubernatore Hispanico, comite Fuentes, sciscitabatur praeterea diligenter, quid sentirent Mediolanenses de controversia inter papam et Venetos, quae tum nascebatur. Imprimis autem exspectabat instructionem principalem, quae actionem eius in Polonia accuratius et prolixius definire debebat, et quam 27 Novembris die tandem consecutus est<sup>12</sup>.

Reliquum iter, quoniam Venetiae ei praetereundae erant, ducebat per Comum, Plurium et Oenipontem, ubi nuntius noster - quod praecipue notandum esse videtur - omnino non substitit, ne - secundum expressum instructionis praeceptum - archiducem Maximilianum, a. 1587 coronam Regni Poloniae ambientem, convenire cogeretur, et ut ita evitaret suspiciones et querelas Polonorum de quadam nuntii cum aemulis Sigismundi III tunc in Polonia feliciter regnantis collusionione<sup>13</sup>. Fecit autem officiosam salutationem Pataviae archiduci Leopoldo, qui in aula regia Varsaviensi displicere non potuit<sup>14</sup>. Extremis diebus Decembris a. 1606 Viennae substitit<sup>15</sup>.

Obiter notandum est nuntium nostrum - ut ex posterioribus epistulis clare patet - in itinere suo in Poloniam comitem habuisse Iosephum Velaminum Rutki, strenuum Ecclesiae unitae Ruthenorum propugnatorem, Roma in patriam redeuntem<sup>16</sup>.

Cracoviam Simonetta venit 19 die Ianuarii a. 1607, a summo pontifice donum rosae aureae reginae Poloniae apportans, quod a chronographo domus Cracoviensis patrum Societatis Iesu diligenter annotatum est<sup>17</sup>. Cum autem

<sup>10</sup> Cfr. infra, N. 6, 7, 8 et Argelati, p. 1395.

<sup>11</sup> Cfr. infra, N. 3, 9 et AV, Sec. Brev. 412 f. 209r-212v.

<sup>12</sup> Cfr. infra, N. 12-14, 21, 22.

<sup>13</sup> Cfr. infra, N. 28.

<sup>14</sup> Leopoldus fuit frater reginae Poloniae, Constantiae.

<sup>15</sup> Cfr. infra, N. 30, 32.

<sup>16</sup> Cfr. AV, F. Borghese II 234 f. 276r, ubi servantur litterae Simonettae ad cardinalem Borghese, 25 XI 1607 Cracoviae datae, in quibus nuntius noster, dum de conatibus Ruthenorum unitorum ad erigendum in Polonia proprium seminarium scribit, memorat "la relatione c'ha data da Giovanni [sic] Rutki che ne l'anno passato fu a Roma a quest'effetto et meco tornò in Polonia"; cfr. etiam: Julian Bartoszewicz, *Rutki (Wielamin Józef)*, in: *Encyklopedia Powszechna* (Samuelis Orgelbrand), T. 22, Warszawa 1866, p. 560-561. Ioannes est nomen, quod Rutki in baptismo accepit.

<sup>17</sup> Wielewicki, p. 232-233: "Novus Nuntius Apostolicus [Franciscus] Simonetta ingressus est solemniter Cracoviam cum Rosa aurea, quae a Pontifice Maximo Serenissimo Regi mittebatur, 20 huius mensis". In eodem fonte habetur etiam falsa annotatio, secundum quam praedecessor Simonettae, Claudius Rangoni, 29 die eiusdem mensis ex Polonia discessit, dum reapse Rangoni non prius quam 6 Februarii Cracovia egressus est; cfr. infra N. 65 et epistolam Fabiani Konopacki ad card. Borghese, 11 II 1607 Cracoviae datam, AV, F. Borghese II 234 f. 418v.

19 Ianuarii a. 1612 diem suum obierit, munere oratoris pontificii apud aulam Polonam per quinquennium fungebatur.

Tota actio et opus Francisci Simonettae, nuntii apostolici in Polonia, melius certo illustrari poterit eius epistularum commercio, hic edito et subsequentibus voluminibus publicando. Nunc liceat solum breviter describere maioris momenti facta et eventa, quorum testis esse ei in Polonia contigit, necnon memorare quaestiones, difficultates, negotia, quae in obeundo munere nuntii ei in dies occurrebant et quae - secundum accuratas instructiones et praecepta, quae semel atque iterum Roma mittebantur - expedienda ac superanda erant.

Duo imprimis eventa initiis nuntiaturae Francisci Simonettae notam indelebilem impresserunt. Alterum, cum Polonia directe non coniunctum, situm erat in controversia Sedi Apostolicae cum Venetis intercedente. Contentio illa orta est ex gravissima opinionum discrepantia de quaestione, quantum et quousque auctoritati ecclesiasticae rebus Reipublicae internis se immiscere liceret. Quae quidem quaestio, si principales Europae civitates maxime attingebat, nuntio quoque pontificio in longinqua Polonia munus suum obeunti procul dubio contemnenda non erat. Exigebat enim ab eo, ut homines in Republica potentes et auctoritate praeditos sibi modis omnibus conciliare conaretur, simulque actiones et technas Venetorum, quas in aula Polona forte molirentur, impediret.

Alterum eventum, res tamen Poloniae internas attingens, cui nuntius noster in explenda missione sua obviam ire coactus est, fuit seditio illa Sandomiriensis, a palatino Cracoviensi, Nicolao Zebrzydowski, et aliis concitata, quae - a nomine capitis sui - seditio (vulgo "rokosz") Zebrzydowski ex consuetudine appellatur.

Implicata illa et a rerum gestarum studiosis nondum penitus explorata nobilitatis Polonae seditio atque defectio, cui praestantissimi Regni proceres, insignibus et potentissimis familiis nati, nomen dederunt et praeesse voluerunt, fundamenta Reipublicae Utriusque Nationis vehementer conquassavit ac disiecit et ad ipsam gubernandae rei publicae rationem perturbandam permutandamque non parum contulit<sup>18</sup>.

Initio sectatores illius seditionis, quae contra regem Sigismundum III et eius temptamina firmandae ac roborandae potestatis regiae mota erat, ad religionem quod attinet, nulli confessioni praecipue et magis quam aliis favisse videntur (ex. gr. ipse Zebrzydowski ardentissimus religionis catholicae fautor et confessor inter omnes noscebatur). Postea tamen pedetemptim, modo quasi naturali, seditiosi sub vexilla sua multos novatores, vulgo "protestantes" nuncupatos, attrahere coeperant, qui primi regis ex stirpe Vasa pro-

<sup>18</sup> De seditione Nicolai Zebrzydowski adhuc desideratur opus completum, ad normas hodie in doctrina historica vigentes conscriptum. I. Maciszewski hucusque non nisi primam partem operis sui de hac re publicavit (Maciszewski, *Wojna*). Itaque porro uti debemus libris Henrici Schmitt, Alexandri Rembowski et Adami Strzelecki, de seditione Zebrzydowski saeculo XIX scriptis (cfr. bibliographiam).

creati in Polonia regnantis, religioni catholicae et Domui Austriacae nimis faventis, rei publicae moderationem vehementer improbabant repudiabantque. Quae cum se ita res habuerit, Sedes Apostolica in hoc negotio partes regis necessario amplexa est, nuntii autem praecipuum et difficile munus erat litigantes ad concordiam et reconciliationem adducere conari. Cui rei non parum temporis et sudoris dedicavit, non semper tamen conatum suorum fructum aliquem rettulit<sup>19</sup>.

Sequentibus annis, quibus Simonetta commissam sibi nuntii apostolici provinciam explorare pergebat, in Polonia haud dubie res Moscoviticae primum locum obtinebant. Imprimis vero expeditio bellica ipsius Sigismundi III ad expugnandum Smolenscum et diuturna munitissimae illius arcis oppugnatio, quae primo autumnio anni 1609 inchoata erat<sup>20</sup> et, victoria 13 Iunii a. 1611 de hostibus relata, ad finem tandem perducta. Simulque admiranda sane victoria, ab exercituum Regni campestri capitaneo, Stanislao Żółkiewski, de copiis Moscorum, quae Smolenscensibus obsessis in auxilium missae erant, reportata. Quo successu relato, campiductor Polonus Moscuam occupavit, arcem urbis praesidiis suis firmavit et cum proceribus Moscovitis de principe Polono, Vladislao Vasa, in solio magnorum ducum et imperatorum Moscoviae collocando pacisci coeperat<sup>21</sup>. Quae tamen pactiones rebus infectis conclusae sunt.

Manifestum est Sedem Apostolicam, conatus utriusque partis diligenter observantem, Reipublicae Poloniae omnino favisse. Spes enim Moscoviae in dicionem potestatemque regis, religionis catholicae studiosissimi, redigendae, iam ipsa per se temptationem excitabat, cui Roma difficulter resistere poterat. Praeter enim hanc magnificam visionem religionis Romanae ad immensas usque imperii Moscovitici regiones extendendae, agebatur etiam de firmo atque insuperabili impedimento contra periculum Turcicum tandem erigendo. Memores itaque spei et expectationis, quae de rege Poloniae et de eius erga Moscoviam conatibus Romae alebantur, intellegere possumus, cur nuntius, qui bello Moscovitico durante Vilnae, in aula reginali, morabatur, cum de gestis militum Polonorum in Urbem referebat, eos "milites nostros" ("nostri soldati") in epistulis suis appellaret<sup>22</sup>.

Duabus primis et supra hebdomadis, quibus una cum praedecessore suo, Claudio Rangoni, se ad discessum parante, Simonetta in Polonia morabatur,

<sup>19</sup> Fortuna seditionis decreta est victoria regis mense Julio apud Guzów de seditiosis reportata, et praesertim paribus fere inter utramque partem viribus, quo factum est, ut rex victoria sua contra adversarios congruenter uti non potuerit, culpam eis ignoscere et concordiam cum eis inire coactus sit. Quae reconciliatio in Comitibus Regni a. 1609 celebratis confirmata est. Cfr. Maciszewski, *W przededniu*, p. 179-189.

<sup>20</sup> "Con lettere de li 26 del passato, venute ultimamente dal campo di Sua Maestà, si ha che quel giorno fosse la Maestà Sua arrivata tre leghe vicino a Smolensko" (Simonetta ad card. Borghese, Vilna 6 X 1609), AV, Nunz. Pol. 37A f. 47r.

<sup>21</sup> Konopczyński, p. 208-213.

<sup>22</sup> Cfr. AV, Nunz. Pol. 37A f. 47r-285r.

in id imprimis animum intendit suum, ut ex experientia et usu rerum Polonicarum eiusdem praedecessoris sui quam plurimum edisceret et negotiorum nuntiaturae expeditionem continuaret. Negotia autem, de quibus Rangoni successorem suum imprimis accurate edocere debebat, erant missio in Polonia oratoris Veneti, Aloisii Foscarini, reconciliatio regis cum palatino Cracoviensi, Nicolao Zebrzydowski, rationes ecclesiasticos adducendi ad contributionem pecuniariam regi solvendam, efficaces denique modi et viae res secretiores sciscitandi et multa praeterea negotia privata. Rangoni itaque, praeter consilia et monita sua, novo nuntio impartienda, suam ipsius instructionem initialem ("l'instruzione vecchia") ei tradere debuit<sup>23</sup>.

Principales agendi normae ac rationes, quas Simonetta in obeundo munere suo in Polonia secuturus erat, praesertim ad res Ecclesiae internas quod attinet, continebantur in instructione initiali - in hoc volumine publicata<sup>24</sup> - cuius auctorem fuisse ipsum cardinalem Scipionem Caffarelli Borghese, nepotem pontificium simulque Secretarium Status, certo conicere possumus. Instructio illa procul dubio temporis, quo scripta est, propria erat, et normae in illa contentae spectabant potissimum ad curandam cleri disciplinam et decretorum Concilii Tridentini executionem, ad debellandam religionem reformatam eiusque sectatorum nimiam honorum et dignitatum in Republica cupiditatem et ambitionem coercendam, ad vigilandum, ut officia et munera publica catholicis imprimis a rege conferrentur, ad patres Societatis Iesu singulari tutela prosequendos et alia minora quam plurima.

Reliquas agendi regulas, ad res publicas et ecclesiasticas pertinentes, nuntius per epistulas accipiebat, quae certis temporibus ad omnes nuntios apostolicos Roma, ex Secretariatu Status, mittebantur. Maioris partis epistularum, ad Franciscum Simonetta ex Urbe datarum, quas cardinalis Borghese subscribebat, verus auctor fuit Martius Malacrida (†1609), homo a pluribus annis cum rebus Poloniae coniunctus, quarum propterea non vulgarem peritiam et notitiam sibi comparavit. Ipsius enim dignitatum curialium curriculum, magni momenti muneribus coronatum, primum scil. secretarii Sacri Collegii (1599), deinde secretarii brevium Latinorum (1603), ad duo in Poloniam itinera eum adduxit. Itaque iam a. 1592 Malacrida fungebatur munere secretarii cardinalis Georgii Radziwiłł tempore legationis in Polonia peractae, annis vero 1595-96 iterum patriam nostram visitavit, ut interesset tractatibus de societate bellica adversus Turcas instituenda, quibus cardinalis Henricus Caetani praeerat. Iam in duobus illis in Poloniam factis itineribus Malacrida haud dubie implicatarum rerum Polonicarum accuratiorem scientiam assecutus est. Parando autem, sub oculis cardinalis Herminii Valenti, maiorem partem epistularum, quae ad nuntium Rangoni mittebantur, nactus est occasionem easdem res Polonicas porro etiam assidue observandi, quod

<sup>23</sup>AV, Nunz. Pol. 173 f. 126v.

<sup>24</sup>Cfr. infra, N. 16.

comparatam prius experientiam ac cognitionem non parum locupletavit.

Ille, qui deinde in parandis epistulis in Poloniam mittendis in locum Malacridae substitutus est, fuit Lanfrancus Margotti<sup>25</sup>. Natus a. 1558, doctor iuris unius ex universitatibus Italiae Septemtrionalis, Margotti erat primum officialis nuntiaturae penes aulam imperialem (1586-87) et in Gallia (1589), deinde vero officio secretarii, sub patrocínio cardinalis Cynthii Aldobrandini, in Curia Romana fungebatur. Inde ab a. 1596 erat in Secretariatu Status, cui a. 1609 praeesse coeperat et quem ad mortem usque (30 XI 1611) moderatus est.

Post mortem Malacridae principalis auctor epistularum, quae ad nuntium Simonetta scribebantur, erat Ioannes Baptista Confalonieri, qui officium hoc explebat usque ad finem anni 1611, postea vero eiusmodi provincia certo commissa est Porphyrio Feliciani, qui deinde, annis 1613-21, laboribus omnium secretariorum in Secretariatu Status advigilabat<sup>26</sup>.

Singulae relationes, quae a nuntio nostro ex Polonia Romam mittebantur, certo testes esse possunt eum munus sibi commissum diligenter et summo studio explevisse. Ex iisdem relationibus conici etiam potest eum in expediendis negotiis ingenio ad excogitandum acuto non certo caruisse, commoda autem et emolumenta Reipublicae, in qua per extremos vitae suae annos ei vivere contigit, pro suis habuisse. Nam Franciscus Simonetta fuit unus ex paucis nuntiis apostolicis in Polonia, qui in obeundo munere suo e vita excesserunt. Propterea non habemus eius relationem finalem semperque ignorabimus, quibus verbis ipse experientiam in Polonia comparatam definiturus et quae consilia successoribus suis daturus esset. Aliqua tamen cum morte Simonettae coniuncta et ad mutationes in ipsa nuntiatura Varsaviensi, quae eam secutae sunt, pertinentia, reliquit nobis in suis epistulis secretarius eius, Caesar Baroffi, de quo infra nobis fusius dicendum erit. Aliqua etiam ex extremo ipsius nuntii epistularum commercio hauriri possunt.

Ultima epistularum, a Francisco Simonetta subscriptarum, series diem emissionis habet 15 Ianuarii a. 1612<sup>27</sup>. Magna ex parte epistulae illae ab usitatis et solitis nuntiaturae relationibus nihil differunt, nisi quod in subscriptionibus manu propria a nuntio exaratis minorem manus firmitatem perspicere possumus. In ultima demum huius seriei epistula auctor ingravescentis valetudinis suae mentionem facit et precationem ad Deum pro anima sua exposcit<sup>28</sup>, adiunctae autem ei duae paginae Latine scriptae iam formam testamenti habere videntur<sup>29</sup>.

<sup>25</sup> Cfr. infra, N. 203-210 et 263-266.

<sup>26</sup> De secretariis Secretariatus Status sub pontificatu Clementis VIII, qui operam suam sub Paulo V impendere pergebant, vide Jaitner T. 1, p. XLVII-LIX; cfr. etiam Semmler, p. 55-77.

<sup>27</sup> BAV, Buoncompagni E. 39 f. 17r, 20r-v, 23r, 26r, 28r, 31r.

<sup>28</sup> "in caso che passi da questa vita", ibidem, f. 31r.

<sup>29</sup> Ibidem, f. 33r-v.



Ex litteris ipsius Simonettae cognoscimus eum inde ab 11 Februarii graviter febricitasse, cibum nisi magna cum difficultate capere non potuisse, abundantes autem vomitiones deinde subsecutas corpus eius ita debilitasse, ut non nisi extrema et ultima expectari possent.

Primae tandem litterae, a Caesare Baroffi subscriptae, triste afferebant nuntium: aegrotum, qui per longum temporis spatium nullum omnino cibum acciperet, 19 die Ianuarii, hora secunda noctis, diem suum obivisse, "eodem ipso die, quo quinquennio ante primum ingressum suum Cracoviam fecisset"<sup>30</sup>. Deinde Baroffi annuntiabat omnia scripta et documenta, ad actionem nuntiaturae pertinentia, accurate obsignata et clausa, diligenter custoditum iri, se autem ipsum - licet cum ceteris defuncti servitoribus in Italiam redire summopere cupiat - in loco adhuc nonnihil remansurum esse, "ne forte interrumpatur continua negotiorum hic occurrentium significatio"<sup>31</sup>.

25 Ianuarii Baroffi scribebat se una cum Martino Kłoczyński, paroco Biencensi, defuncti nuntii ultimo auditore<sup>32</sup>, documenta nuntiaturae obsignasse, ratione imprimis habita omnium actorum tribunalis et epistularum a cardinali Borghese acceptarum, seorsum positis scriptis quibusdam secretioribus recens transmissis ("scritture secrete"), ad negotium dignitatis cardinaliciae Claudio Rangoni conferendae spectantibus, simulque magna animi anxietate significabat se ad epistulas, quae iam post mortem nuntii pervenissent, aditum non habere, cum hae a Rogero Salomoni, secretario regis Italico, retentae sint, et regis ea in re sententiam expectari<sup>33</sup>.

Restabat adhuc quaestio executionis testamenti a defuncto relictī. Secundum ipsius voluntatem Simonetta sepeliri debebat in ecclesia Bernardinorum Varsaviensi et re ipsa ibi sepultus esse videtur, quamquam fratres defuncti de corpore in Italiam transferendo et in sepulcro gentis Simonetta deponendo statuere debuerunt. Solvenda erant praeterea debita a defuncto contracta. Simonetta enim Asprilio Pacelli, capellano regio, 1025, et Laurentio Cosmati 700 florenos debebat. Illis duobus creditoribus debita pecunia ex aerario Sedis Apostolicae fortassis numerari potuit. Quod negotium curare debebat Ioannes Monti, mandatarius Simonettae in Urbe residens. Creditores tamen multo plures erant, quorum primus erat Martinus Szyszkowski, episcopus Plocensis, cui summa 2000 florenorum debebatur. Pecunia ad persolvendum hoc aes alienum ex venditione bonorum a defuncto relictorum, pro quibus 2500 florenorum summa obtineri potuisse sperabatur, comparanda erat. Residuum pecuniae, si persolutis debitis aliquid restaret, ad sumptus funeris sustinendos et salaria famulis numeranda destinabatur<sup>34</sup>.

<sup>30</sup> "il medesimo giorno, nel quale cinque anni sono fece la sua prima entrata in Cracovia", *ibid.* f. 37r.

<sup>31</sup> "acciocché non venga ad essere interrotto il continuato ragguaglio de le occorrenze di qua", BV, Buoncompagni E. 39 f. 39r.

<sup>32</sup> Postea praepositus monasterii canonicorum regularium apud ecclesiam Corporis Christi Casimiriae (prope Cracoviam).

<sup>33</sup> BV, Buoncompagni E. 39 f. 50r. De negotiis eius Romae prius commendatis cfr. *infra*, N. 335, 369.

<sup>34</sup> Baroffi ad card. Borghese, Varsavia 25 I 1612, BV, Barb.Lat. 6577 f. 1r-v.

Ut iam memoravimus supra, inopinata morte nuntii actio nuntiaturae Varsaviensis non omnino cessavit, cuius rei meritum imprimis fuit Caesaris Baroffi, Simonettae secretarii rerum nuntiaturae peritissimi, qui post mortem superioris onus suscepit maioris momenti negotia expediendi et per annum integrum et supra officio internuntii functus est. Commercium litterarum, quod Baroffio tunc temporis cum cardinali Scipione Borghese intercedebat, a solito nuntiorum epistularum commercio non differens et ad negotia a nuntio mortuo incepta atinens, in postremo huius tomi volumine publicabitur. Ipsa autem persona internuntii longiorem hic digressionem mereri videtur<sup>35</sup>.

In vetustis Italarum libris XVII et XVIII saeculo scriptis, clarorum virorum vitam breviter narrantibus, mentiones de Caesare Baroffi crebro et satis facile invenire possumus<sup>36</sup>. Quod procul dubio, praeter eius industriam et sedulam operam Mediolani postea impensam, inde imprimis ortum esse videtur, quod Baroffius composuit et typis edidit, primum Vilnae, deinde Mediolani, laudationem Sigismundi III ratione victoriarum eius de Moscis relatarum<sup>37</sup>, quo factum est, ut in numerum "litteratorum" Mediolanensium et omnino Italarum referretur.

Caesar, filius Ioannis, natus est Baretii a. 1582. Inde a puero curriculum vitae futuri superioris sui duplicare videbatur. In Italia septemtrionali natus, ipse quoque cum cardinali Friderico Borromeo familiaritate quadam coniunctus erat, cum quo per multos annos epistularum commercium habebat, cui etiam primum opus suum, *Conclusioni di filosofia* inscriptum, dedicavit<sup>38</sup>. Deinde, haud dubie Mediolani, gradum doctoris utriusque iuris consecutus est et paulo post novum nuntium in itinere in Poloniam comitatur et secretarius eius nominatur. Quo munere et officio auditoris nuntiaturae Varsaviensis, quod ei interdum committebatur, satis laudabiliter functus esse videtur, at certe - aliter ac uni ex collegis eius, auditori Valerio Archangeli - nulla ei umquam cum Simonetta intercessit dissensio, quae ex epistulis datis et acceptis quodammodo perspicui possit.

Post mortem superioris, cum multis difficultatibus colluctari coactus, officia sibi demandata optime explevit, ita ut negotia nuntiaturae usque ad adventum successoris, Laelii Ruini, episcopi Balneoregiensis, qui initio anni 1613 Cracoviam advenit, tuto et secure expediri et confici possent.

<sup>35</sup> Notandum est in opere F. De Daugnon, qui hac in parte Ciampio nititur, legimus Baroffium fuisse secretarium Simonettae, "dum de hoc nuntio nemo unquam alius auctor scripserit, ne Ciampius quidem" ("mentre di questo nunzio nessun altro scrittore ha parlato, e nemmeno il Ciampi", De Daugnon, p. 233).

<sup>36</sup> Cfr. Picinelli, p. 135; Calvali, p. 97; Argelati, p. 1838; Mazzuchelli, p. 379; cfr. Ferrari, p. 76, 630.

<sup>37</sup> *In Triumpho Serenissimi, ac Potentissimi Principis Sigismundi III. Poloniae, et Suetiae Regis etc. e Moscovia post insignes gloriose partas victorias foeliciter redeuntis, Oratio Caesaris Baroffii Mediolanensis J.U.D., Prothonot. Apostol., et Illustrissimi ac Reverendissimi D.D. Comitis Francisci Simonetae Episcopi Fulginatensis Nuncii in Regno Poloniae Apostolici a Secretis*, Vilnae, in Typographia Petri Blasti, 1611, in 4., et Mediolani apud Comum, 1612, item in 4.

<sup>38</sup> De Caro, p. 429.

Altera tamen parte anni 1612 commoratio in Polonia satietatem quandam et fastidium ei afferre coeperat. Videtur enim menstruum salarium 50 scutorum, post mortem Simonettae ei assignatum, sufficiens incitamentum non fuisse, quod eum in Polonia retinere posset. Itaque litteris, 26 Novembris Vilna datis, quam citissimi in Italiam reditus desiderium aperte declarabat. Timebat enim pro valetudine sua, querebatur de caeli asperitate, terrore plenus scribebat nova, quae Gedano adferebantur, de portu ob inauditam piscium mortuorum copiam occluso et impedito<sup>39</sup>. Vehementer ergo gavisus est, cum 12 Ianuarii a. 1613 de novi nuntii Cracoviam adventu certior factus esset. Quattuordecim diebus post Vilna discessit et Varsaviam profectus est, quo 14 Februarii advenit et ubi usque ad 4 Martii sollemnem ingressum Laelii Ruini exspectare debuit. Sed, proh dolor, novus nuntius Roma mandatum ei attulit, quo ipsi iniungebatur, ut per unum adhuc mensem in Polonia maneret. Videtur tamen novi nuntii informatio et officiorum traditio feliciter evenisse, nam iam 20 die Martii Baroffius Varsavia discessit et per Cracoviam (27 III), Viennam (9 IV) et Venetias (24 IV) Romam pervenit<sup>40</sup>.

Post reditum in Urbem, duo quaedam beneficia a Paulo V obtinuit, 200 scutos lucri simul afferentia, ex quibus unum procul dubio fuit praepositura Parabiatensis, lucrosum complementum dignitatis protonotarii apostolici, quam prius, adhuc in Polonia, consecutus est. A. 1619 Baroffius factus est secretarius nuntiaturae Matritensis, ubi nuntius fuit Franciscus Cennini. Anno post, per intercessionem regis Hispaniarum, obtinuit honorificentissimum canonicatum in ecclesia collegiata Mediolanensi Sanctae Mariae Scalensis - haud dubie eundem, qui post mortem Simonettae vacabat<sup>41</sup> et quem deinde ipse usque ad a. 1651 sine intermissione tenebat.

Neque hic cessat similitudo cum illis, quae ei prius Varsaviae acciderunt. Nam cum post mortem Pauli V nuntius Cennini statim Matrino revocatus esset, Baroffius maiorem partem officiorum suscepit, quae hucusque superioris sui fuerunt, et per plus quam totius anni spatium, usque ad adventum novi nuntii, Alexandri de Sangro, assiduum curabat epistularum commercium, nunc cum cardinali Ludovico Ludovisi<sup>42</sup>.

Baroffius revertit Mediolanum mense Augusto a. 1622 et usque ad ultimum vitae suae diem ibi remansit, tempus suum consumens disputationes

<sup>39</sup>Rotondi, p. 989.

<sup>40</sup>Baroffius initio cogitabat reditum suum per Mediolanum instituere "per visitare in Varese, Patria mia, i miei: Padre, fratelli et parenti", sicut scripsit in litteris, 20 III 1613 datis, sed in itinere sententiam mutasse videtur, cfr. Rotondi, p. 990.

<sup>41</sup>Cfr. AV. F.Borghese II 241 f. 163r. De conferendis sibi beneficiis in dioecesi Mediolanensi per mortem Simonettae vacantibus Baroffius Romam scribebat eo ipso die, quo superior eius mortuus est, "affinché la Santità Sua si degni farmi gratia d'alcuni beneficioli semplici, che per morte del medesimo Mons. Nuntio sono vacati, particolarmente due di S. Quirico, et di S. Prospero de la Diocesi di Milano" (Baroffius ad card. Borghese, Varsavia 19 I 1612, BV, Buoncompagni E. 39 f. 42r).

<sup>42</sup>Epistulae Baroffii illius temporis servantur in BAV, Barb.Lat. 8526; cfr. Rotondi, p. 991.

theologicas instituendo cum Ioanne Baptista Medici, carmina scribendo et curando res ecclesiae Sanctae Mariae Scalensis. Veterem tamen usum et consuetudinem cum Polonis intermisit nunquam. Bona enim sui memoria, quam in patria nostra post se reliquerat, et amicitias, quas ibi cum multis contraxerat, factum est, ut reges ex stirpe Vasa orti - a Sigismundo III ad Ioannem Casimirum - munus internuntii sui in aula gubernatoris Hispanici Mediolani ei concederent. Secundum Sebastianum Ciampi Baroffius quoque inter poetas numerabatur, qui nuptias regis Poloniae Vladislai IV cum Caecilia Renata, sorore imperatoris Ferdinandi III, carminibus suis cohonestarunt<sup>43</sup>.

Obiit die 5 Februarii a. 1655, 74 annos natus, in sede sua Mediolanensi.

Epistulae, quas Baroffius anno 1612 et initio anni 1613 ex Polonia Romam miserat<sup>44</sup>, clare demonstrant eum officia sua negotiorum gestoris et internuntii libenter et accurate explevisse et Romam de rebus Polonicis, praesertim de bello Moscovitico, religiose et diligenter edocere conatum esse. Ad res internas quod attinet, animum advertit ad synodos dioecesananas, quae mense Maio a. 1612 celebrabantur, deinde ad dietas terrestres et paranda Regni Comitia ad annum 1613 indicta. Praecipuae etiam curae ei fuit praeparatio legationis oboedientialis, quam vocant, episcopi Luceoriensis, Pauli Wołucki, ad summum pontificem mittendi, cui commissum erat, ut dissensiones, quae ob sacram purpuram Claudio Rangoni frustra expostulatam exortae sunt, sopiret ac componeret, et ad novam expeditionem Moscoviticam auxilia impetraret<sup>45</sup>. In hoc difficili negotio expediendo Baroffius superiorum suorum laudes certo meruit, quod per amicos, quos in aula regia habuit, contenta instructionis legato apparatus satis tempestive intellexerit et exemplum litterarum regis ad pontificem scriptarum obtinuerit. Dum itaque has pretiosas cognitiones cardinali Burghesio tradebat, laetissimus eum reddebat certiore se eas "a persona Sedi Apostolicae devotissima et sibi fideli" assecutum esse<sup>46</sup>.

## **2. Fontes ad nuntiaturam Francisci Simonettae spectantes eorumque editiones.**

Documenta, actionem Francisci Simonettae, nuntii apostolici in Polonia, illustrantia, magna ex parte variis locis sparsa et dissipata sunt; quae res refectionem completi corporis fontium difficiliorem reddit. Tabularium enim

<sup>43</sup> Ciampi, T.1, p. 20. Haec affirmatio inquisitionibus Iosephi Rotondi (p. 993) non est confirmata.

<sup>44</sup> Servantur in BAV, Buoncompagni E. 39 et Barb.Lat. 6577.

<sup>45</sup> Baroffi ad card. Borghese, Varsavia 18 V 1612. BV, Buoncompagni E. 39 f. 80r-v.

<sup>46</sup> "da persona devotissima a la Sede Apostolica et mia confidente", Varsavia 22 VI 1612, ibid. f. 145r.

privatum Simonettae hucusque non est inventum, in quo suspicari possumus originales epistulas ad nuntium datas et minutas (seu concepta) responso- rum contineri (praecipue pretiosae hic essent, si reperirentur, epistulae Po- lonorum, nam quae ex Secretariatu Status ad nuntium missae erant, in re- gistris asservatae exstant). Pariter desiderantur acta nuntii (*libri gratiarum et contentiosorum*, qui vocantur), quae - Varsaviae relicta - novissimo omnium gentium bello, una cum actis praedecessorum et successorum, incendio con- flagrarunt<sup>47</sup>.

Maxima documentorum ad nuntiaturam Simonettae pertinentium copia in **Tabulario Vaticano** servatur. Quorum pars maior, quae primam nuntia- turae eius partem imprimis attingit, in *Fondo Borghese*<sup>48</sup> continetur, quod fa- cile explicari potest magna auctoritate et potentia cardinalis Scipionis Caffa- relli Borghese, nepotis pontificii et Secretarii Status, qua tunc temporis Ro- mae praeditus erat. Itaque in serie voluminum, alba et molli pergamena in 4<sup>o</sup> ligatorum, inveniuntur originales epistulae Simonettae, annis 1606, 1607, 1608 et prima anni 1609 parte ad cardinalem Secretarium Status datae:

- F.Borghese II 223-224, ff. 346; volumen bene servatum (solum in parti- bus finalibus chartam partim deletam habet), inscribitur: "Lettere del Nuntio di Polonia et altri di questo Regno 1607"; continet epistulas Claudii Rangoni et Francisci Simonettae, a 13 I ad 30 VI 1607 datas, aliquot scripta annexa et exempla litterarum, ad seditionem Nicolai Zebrzydowski imprimis perti- nentium.

- F.Borghese II 226, ff. 175; volumen magna ex parte deletum, praesertim in parte inferiore et in ultimis foliis (propter umorem carie afficitur), inscrip- tione caret (in dorso habet: "Polonia 1608"), continet autographa et originales epistulas Simonettae ad cardinalem Borghese, a 5 X ad 27 XII 1608 datas, sine annexis.

- F.Borghese II 228, ff. 319; volumen optime asservatum, inscribitur: "Let- tere del Nuntio di Polonia nell'anno 1609" (f. 3r) et est continuatio praecedentis; continet epistulas, a 3 I ad 19 VI 1609 datas, sine annexis.

- F.Borghese II 230, ff. 285; in f. 1r habet: "Lettere del Nunzio di Polonia 1606"; continet originales epistulas, a Claudio Rangoni ad cardinalem Bor- ghese datas, et (in f. 10r-v, 121r-149v et 253r-268r) primas epistulas Simo- nettae, a 30 IX ad 30 XII 1606 ex itinere in Poloniam datas; inde a f. 269r ha- bet varii generis annexa et multas supplicationes.

- F.Borghese II 234, ff. 452; volumen bene asservatum, inscribitur: "Lette- re del Nuntio di Polonia et altri del Regno, 1607"; praeter originales epistulas Simonettae continet etiam epistulas Simonis Mogila, procerum et episcopo-

<sup>47</sup> Bentkowski, p. 117; Stebelski, p. 310-11.

<sup>48</sup> Hoc immensum documentorum corpus, ad 2000 voluminum continens, cuius partes efficiunt non solum collectiones Burghesiorum et Aldobrandiniorum (per matrimonium Olympiae Aldobrandini cum Paulo Borghese), sed etiam familiae Salviati (per matrimonium Mariae Annae Salviati cum Marco Antonio Borghese), non nisi a. 1892 in possessionem Sedis Apostolicae transiit, cfr. Pásztor, p. 213-214.

rum Polonorum (inter alios Simonis Rudnicki) ad summum pontificem datas, scripta ad seditionem Nicolai Zebrzydowski pertinentia, acta et constitutiones synodi provincialis Gnesnensis, 8-12 X a. 1607 celebratae (f. 202r-207r), necnon "Catalogum miraculorum B. Caroli intercessione in Regno Poloniae editorum, de quibus constat per processum, qui transmittitur", 25 XI 1607 a nuntio transmissum (f. 219r-v).

- F.Borghese II 237, ff. 231; volumen optime asservatum, inscribitur: "Lettere del Nuntio di Polonia di Gennaio, Febraio e Marzo 1608" (f. 2r), continet autographa et epistulas originales Simonettae ad cardinalem Borghese, a 6 I ad 31 III a. 1608 datas; in parte finali aliquot scripta annexa (exemplaria, supplicationes, "avvisi" et nonnulla scripta originalia Ioannis Zamoyski, aepi Leopoliensis).

- F.Borghese II 241, ff. 303; continet non multas epistulas originales et decifratas Simonettae, annis 1607-1608 scriptas, eiusque epistularum, a. 1608 datarum, exempla (f. 161r-170v), necnon epistulas originales cardinali Borghese inscriptas, inter alias epistulas archiepiscopi Gnesnensis, Bernardi Maciejowski (1606-1607), auditoris Simonettae, Valerii Archangeli (1608), episcopi Cracoviensis, Martini Szyszkowski (1617), et archiepiscopi Gnesnensis, Laurentii Gembicki (sine dato), necnon exempla litterarum nuntii Francisci Diotallevi, Varsavia a 8 III 1614 ad 31 VII 1620 missarum.

- F.Borghese IV 79, ff. 381; volumen bene asservatum, inscribitur: "Lettere del Nuntio di Polonia l'anno 1608 dal mese di Aprile", in f. 2r-252v continet, praeter primam epistulam Simonettae 15 VI 1607 datam, originales eius epistulas, a 5 IV ad 29 VI 1608 ad cardinalem Borghese scriptas; residuum locum in volumine occupant scripta annexa, i.a. in causa Bernardinorum Cracoviensium ex a. 1608 (f. 317r-335v).

Diversi generis in hac collectione est amplum copiarium, in quo continentur registra epistularum Secretarii Status ad nuntium, annis 1606-1609 datarum, in ms. F.Borghese II 435 (ff. 624), charta pergamena ligatum et bene asservatum; fidelis copia voluminis Nunz.Pol. 173, de quo dicitur infra.

Secundo loco inter collectiones, quae in Tabulario Vaticano servantur, ad earum pondus et abundantiam documentorum quod attinet, nominanda est collectio *Nunziatura di Polonia*, in qua praeter originales epistulas Simonettae, annis 1609-1610 scriptas (Nunz.Pol. 37<sup>A</sup> ff. 421 in 4<sup>o</sup>, volumen pergamena ligatum, quod inscribitur: "Lettere di Mons. Nunzio in Polonia al Sr. Card. Borghese"), inveniuntur praecipua registra epistularum, annis 1606-1611 ad eum datarum:

- Nunz.Pol. 173, ff. 342; volumen in 4<sup>o</sup>, in parte dimidia valde deletum, pergamena molli ligatum; in f. 3v legitur: "Del Secretario Malacrida alli Nuntii in Polonia"; continet registra epistularum, a 4 VI 1605 ad 25 VII 1609 ad nuntios in Polonia datarum, quae primum, usque ad 20 VIII 1605, a cardinali Valenti, deinde, a 3 IX 1605 usque ad finem voluminis, a cardinali Borghese

subscribebantur. Instructio et epistulae Simonettae incipiunt in f. 138r.

- Nunz.Pol. 174, volumen alba et molli pergamena ligatum, in f. 49r-212v continet registra epistularum cardinalis Borghese ad Simonettam, a mense Septembri a. 1609 usque ad Novembrem a. 1611 datarum, et in f. 213r-217v "Registro di lettere scritte dal Secretario Giovanni Battista Confaloniero a diversi per Polonia sotto il Cardinale Lanfranco et sottoscritte dall'Ill.mo Card. Borghese", inter quas 7 registra epistularum, ad auditorem Simonettae, Ioannem Mariam Belletto, annis 1610-1611 scriptarum.

Nominandae sunt etiam 6 litterae autographae Caesaris Baroffii ad Ioannem Baptistam Monti, agentem Romanum Simonettae, post eius mortem a. 1612 scriptae, in collectione diversorum scriptorum saeculi XVII in ingenti volumine "additionali" seriei Nunziatura di Polonia conservatae (Addit. 3, fasc. 2 s.f.). Minoris autem momenti sunt 7 minutae epistularum (quarum originalia quoque servata sunt), e Secretariatu Status ad Simonettam et Baroffium a 3 XI 1611 ad 1 XII 1612 datarum, quae in minutario Nunz.Pol. 192 (f. 2r-10r) servantur.

Reliquae Tabularii Vaticani collectiones ad hanc editionem non nisi supplementa afferunt: paucas scil. originales epistulas Simonettae, a. 1609 datas in *Nunziatura di Germania* 114A; copiarum registrarum epistularum, ad eundem nuntium annis 1609-1611 missarum, in *Nunziature Diverse* 147 et *Fondo Pio* 173, necnon minutas epistularum e Secretariatu Status ad eundem, a. 1609 scriptarum, in *Fondo Confalonieri* 47. Nonnihil diversi generis sunt non multae "novitates" ("avvisi") ex Polonia, quae fortassis - quod tamen certe non constat - a Simonetta annis 1607-1611 Romam missae erant; servantur in *Fondo Avvisi*, in ms. 120, similes "novitates", inde a 19 I 1600 usque ad 1 VIII 1612 ex tota Europa allatas, continente.

Quod attinet ad litterarum commercium Simonettae cum aliis Curiae Romanae ministeriis, reperta est una tantummodo, sed valde pretiosa, originalis epistula nuntii nostri, ad Congregationem Interpretum Decretorum Concilii Tridentini 18 XI 1607 data, quae in ms. 115 sectionis *Positiones* nuncupatae (f. 35r-v) servata est, inter scripta ad eandem Congregationem annis 1606-1620 missa, secundum singula Concilii decreta ordinata. Victorem Gramatowski secutus<sup>49</sup>, invenire etiam potui unicum asservatam minutam epistulae, ex *Congregatione Rituum* 25 X 1608 ad F. Simonettam datae, quae in eiusdem Congregationis tabulario servatur (sub n. 2571).

Longe tamen pretiosissima documenta supplementaria - scil. acta 6 processuum informativorum de candidatis ad episcopatus, qui a Simonetta celebrati erant, inveniuntur in Archivo Congregationis Consistorialis, quod etiam in Tabulario Vaticano servatur. In ms. 11a sectionis, quae *Processus Consistoriales* appellatur, acta processuum candidatorum ad episcopatus, praesertim

<sup>49</sup> Vide indicem bibliographicum.

Polonos, annis 1603-1608 peractorum continente, asservata sunt acta 4 processuum a Simonetta annis 1607-1608 celebratorum, in simili autem ms. 12 acta duorum processuum, qui annis 1610 et 1612 peragebantur.

Non est tamen asservatum, inter registra *Secretariatus Brevium*, breve, generales facultates nuntii nostri continens. Inventum est tantummodo, in volumine Sec.Brev. 412 in f. 210r-211r, registrum facultatum particularium, autumnus anni 1606 editarum, necnon fragmentum (ex brevi facultatum generalium), facultatem beneficia conferendi continens, manu secretarii Simonettae conscriptum et mense Septembri a. 1607 Romam transmissum (F.Borghese II 234 f. 126r).

Paucissima quidem documenta ad editionem nostram afferunt, sed ad apparanda commentaria utilissimae fuerunt "Sanctissimi Domini Nostri D.ni Pauli V Papae Epistolae ad principes viros et alios... Petro Stroza secretario" - eleganter exarata in charta pergamena registra brevium ad principes et episcopos, i.a. etiam Polonos, quae in Tabularii Vaticani *Armario 45* servantur. In volumine 2 eiusdem Armarii inveniuntur omnia brevia, quibus missio Polonica Simonettae commendabatur, inter quae etiam breve, litteras fidei pro eodem nuntio, 16 IX 1606 ad regem datas, continens (f. 85r-86r); in volumine autem 3 exstat etiam breve Pauli V, 21 VI 1607 ad ipsum Simonetta datum (f. 28r).

Ex collectionibus in **Bibliotheca Vaticana** servatis primum obtinet locum *Fondo Buoncompagni-Ludovisi*, in quo custodiuntur originales epistolae Francisci Simonetta, altera eius nuntiaturae parte, scil. annis 1609-1612, ad Secretariatum Status datae, necnon earum continuatio, id est epistolae Caesaris Baroffi, annis 1612 et 1613 missae, omnes in 4<sup>o</sup>, eodem modo duro tegumento, alba pergamena cooperto, ligatae et bene asservatae:

- F.Buoncompagni E.34, ff. 104; in f. 1r habet: "Anno 1609. Lettere di Mons. Vescovo di Foligno, Nunzio Apostolico in Polonia"; volumen continet originales epistulas Simonettae ad cardinalem Borghese, a 27 VII ad 19 XII 1609 missas, et aliqua scripta annexa.

- F.Buoncompagni E.35, ff. 188; volumen est continuatio praecedentis et continet epistulas originales Simonettae, a 7 I ad 20 III 1610 datas.

- F.Buoncompagni E.36, ff. 231; continet originales epistulas Simonettae ad eundem Borghese, a 10 VI ad 30 XI 1610 datas; desunt epistulae mense Iulio scriptae.

- F.Buoncompagni E.37, ff. 311; continet similes epistulas Simonettae ad eundem cardinalem, a 2 I ad 29 V 1611 missas; desiderantur epistulae mense Martio datae.

- F.Buoncompagni E.38, ff. 269; continet similes epistulas originales Simonettae ad eundem cardinalem, a 2 VII ad 29 XII 1611 datas; desunt epistulae mense Novembri missae.



- F. Buoncompagni E.39, ff. 168; continet originales epistulas Simonettae ad cardinalem Borghese, a 7 ad 15 I 1612 (f. 1r-34v) et epistulas Baroffii, a 19 I 1612 ad 1 V 1613 (a f. 35r) datas.

Minorem numerum documentorum ad nuntiaturam Simonettae pertinentium invenimus in collectione *Barberini Latini* dicta, ubi - praeter paucas epistulas originales nuntii ad Secretariatum Status, sub finem anni 1611 datas (27 epistulas, a 15 X ad 17 XII 1611 missas in Barb.Lat. 6575), servantur registra epistularum, ex Secretariatu Status ad nuntium a 26 VII 1609 ad 26 XI 1611 missarum, in bene asservato, 450 paginis constante, ms. Barb.Lat. 5932, et - earum quasi chronologica continuatio - minutae similium epistularum, spatium temporis a 10 XII 1611 ad 18 II 1612 complectentes, quae in primis 60 foliis codicis Barb.Lat. 6576 inveniuntur. Praeterea in collectionibus Barberiniorum asservata est pars principalis originalium epistularum Caesaris Baroffii, quas - dum munere internuntii fungebatur - ad cardinalem Borghese dederat (25 I 1612 - 24 IV 1613), in codice Barb.Lat. 6577, 254 paginis constante, et quae epistulas eius in Fondo Buoncompagni servatas quodammodo complent.

Investigationes extra Romam factae collectiones Vaticanas magna ex parte locupletant:

Itaque in **Tabulario Status Parmensi** (Archivio di Stato), in collectione *Carte Farnesiane*, servantur paucae epistulae originales Simonettae, quas annis 1607-1611 ad Farnesios scripserat - scil. ad principem Ranutium I et cardinalem Odoardum (AS, Carte Farnesiane, ms. 119 n. 202-222 passim) - et cum illis commixtae epistulae Baroffii, annis 1609-1612 missae (Carte Farnesiane 119 n. 215-223 passim).

In **Tabulario Status autem Massensi** (Archivio di Stato), in collectione *Appendice all'Archivio Cibo-Malaspina. Archivio del card. Alderano Cibo* nuncupata, servatur tria volumina in 4<sup>o</sup>, molli pergamena ligata, quae continent epistulas, annis 1609-1611 ad summum pontificem Paulum V et cardinalem Scipionem Borghese missas:

- Ms. 90, pp. 457; in p. 1 habet: "Lettere e Memoriali a Papa Paolo V e al Sig. Card. Borghese 1609"; continet epistulas originales Simonettae ad cardinalem Scipionem Borghese, Cracovia, Grodna et Vilna, a 10 V 1609 ad 16 XII 1610 missas (p. 11-370) et permultas epistulas aliarum personarum (i.a. Ioannis Mariae Belletto), una cum scriptis annexis, ad Ordinem Praedicatorum, Carmelitarum Discalceatorum et ad res Moldaviae pertinentibus.

- Ms. 91, pp. 1447; in p. 1 legitur: "Lettere diverse al Sig. Card. Borghese 1609 e 1610"; continet epistulas originales Simonettae ad cardinalem Borghese, a 25 XI 1609 ad 26 XII 1610 Vilna datas, cum permultis epistulis aliorum commixtas.

- Ms. 92, pp. 1347; in p. 1: "Lettere diverse al Sig. Card. Borghese 1611"; continet epistulas originales Simonettae ad cardinalem Borghese, a 4 III ad 25 VI Vilna missas, et multas epistulas aliarum personarum (i.a. Sophiae Dobieńska).

In **Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi**, in sectione litterarum commercium cardinalis Friderici Borromei continente (*G inferiore*), servantur aliquot epistulae originales Simonettae ad eundem cardinalem et responsa cardinalis ad easdem (G 179 inf. et G 188 inf.); plures tamen habet epistulas, nominationem Simonettae ad nuntiaturam Polonam praecedentes (G 261 inf.), ita ut ex eis aliqua ad anteriorem vitam et actionem Simonettae, Mediolani peractam, pertinentia colligere possimus.

Denique in **Tabulario Status Augustae Taurinorum**, in collectione *Raccolta Mongardino* dicta, servantur tria volumina, minutas epistularum continentia, ab autumno anni 1606 usque ad dimidiam partem anni 1609 ad Simonettam missarum:

- Racc.Mongardino 146, foliatione caret (continet circa 600 folia); volumen in 4<sup>o</sup>, satis bene asservatum, pergama molli ligatum et inscriptum: "Lettere di Roma al Vescovo di Foligno, Nunzio in Polonia, 1606, 1607, 1608 e 1609", et deinde exactius: "Polonia. Al Vescovo di Foligno, le prime lettere nella sua Nunziatura. Cominciano a li 14 d'Ottobre 1606. Finiscono a li 23 di Dicembre [1607]"; continet praecipue minutas at pauca exempla (ex originalibus confecta) epistularum cardinalis Borghese ad Simonettam, 14 X 1606-29 XII 1607 datarum.

- Racc.Mongardino 147, sine foliatione (circa 500 ff.); volumen in 4<sup>o</sup>, pergama molli ligatum; praeter titulum generalem inscribitur: "Al Nuntio di Polonia, Vescovo di Foligno. Agosto, Settembre, Ottobre, per li 22 di Novembre 1608 et per tutto Dicembre 1608"; continet minutas et pauca exempla epistularum cardinalis Borghese ad Simonettam, a 5 I ad 27 XII 1608 datarum.

- Racc.Mongardino 148, sine foliatione (circa 300 ff.); volumen in 4<sup>o</sup>, pergama molli ligatum; repetitur titulus generalis; continet minutas et pauca exempla epistularum cardinalis Borghese ad Simonettam, a 3 I ad 25 VII 1609 scriptarum<sup>50</sup>.

Collectio haec quidem, ad contenta quod attinet, collectiones registorum in Tabulario Vaticano servatorum non exsuperat, sed non raro continet pretiosas annotationes, ad traditionem epistularum pertinentes.

Fontes, qui in Polonia servantur, propter iacturas et damna novissimo saeviente bello tabulariis et bibliothecis Polonis illata, modestissimi sane sunt. Itaque in **Tabulario Principali Veterum Actorum** Varsaviensi, in *Archivo* scil. *Radivillorum* (sectione V, fasc. 14396), asservatae exstant 5 epistu-

<sup>50</sup> Hae minutae in inventario illius tabularii pro originalibus reputantur; qui error introductus est etiam in catalogo generalem omnium tabulariorum, quae sunt in Pedemontio, cfr. Bianchi, p. 732.

lae originales nuntii nostri ad Nicolaum Christophorum Radziwiłł, palatinum Vilynsem, a 3 II 1607 ad 18 II 1609 datae.

In hac paranda editione non sum usus apographis epistularum commercii Simonettae et Baroffii cum Secretariatu Status, quae - praecipue in forma excerptorum et summariorum - a participibus Expeditionis Romanae Academiae Scientiarum Cracoviensis, Ludovico Boratyński et Thaddaeo Sternal, annis 1891/92 in Archivo Vaticano (Nunziatura di Polonia) et in - tum adhuc privatis - bibliothecis familiarum Barberini et Buoncompagni-Ludovisi, et ab eodem Boratyński et Alexandro Czuczyński annis 1892/93 in bibliotheca Borghese, a Tabulario Vaticano tum recens acquisita, confecta erant<sup>51</sup>. Haec apographa in **Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae** Cracoviensis nunc servantur et continent: fragmenta epistularum cardinalis Scipionis Borghese ad Simonettam, a 14 X 1606 ad 19 XI 1611 datarum, in mss. 8389-8390<sup>52</sup>, fragmenta epistularum Simonettae ad cardinalem Borghese, a 30 IX 1606 ad 15 I 1612 missarum, in mss. 8395-8396<sup>53</sup>, fragmenta epistularum Caesaris Baroffi ad cardinalem Borghese, a 19 I 1612 ad 1 V 1613 datarum, in ms. 8397<sup>54</sup>, fragmenta scriptorum, epistulis Simonettae annexorum, necnon epistulas a nuntio ad Polonos datas et a Polonis acceptas, spatium temporis a 6 VII 1608 ad 20 VI 1611 complectentes, in mss. 8408 et 8413<sup>55</sup>. Omnia haec apographa sunt imperfecta et cum originalibus non collata.

Documenta, quae supra breviter descripsimus, cum nuntiatura Francisci Simonettae coniuncta, non nisi minima ex parte hucusque typis edita sunt. Itaque a. 1842 Alexander Turgenev edidit fragmenta instructionis et 22 epistulas (quarum 16 solum in excerptis), ad Pseudodemetrium et res Moscoviticas pertinentes<sup>56</sup>. Augustinus Theiner a. 1863 publicavit principalia fragmenta litterarum fidei, a Paulo V pro Francisco Simonetta ad regem Sigismundum III datarum, et 36 epistulas nuntii ad cardinalem Borghese, a 17 VIII 1609 ad 23 IV 1610 scriptas, necnon litteras Ottonis a Schenking, episcopi Vendensis, ad Simonettam, 1 I 1610 datas<sup>57</sup>. Solam instructionem Simonettae, in versione Polona, edidit a. 1864 in suis *Relationibus* Erasmus Ry-

<sup>51</sup> Cfr. Wojtyska ANPI, p. 126.

<sup>52</sup> Theca Romana 48 p. 227-315 et Theca Romana 49 p. 1-57.

<sup>53</sup> Theca Romana 55 p. 1-310 et Theca Romana 56 p. 1-230.

<sup>54</sup> Theca Romana 57 p. 1-136.

<sup>55</sup> Theca Romana 68 p. 55-83 et 238a-263 et Theca Romana 73 p. 7, 72-81, 156, 198-199, 232-248.

<sup>56</sup> Cfr. Turgenev II, p. 137-154.

<sup>57</sup> Cfr. Theiner III, p. 296-327.

kaczewski<sup>58</sup>. Fragmenta 31 epistularum nuntii nostri et 11 epistulas ad eum datas, ad Moldaviam et Valachiam pertinentes, terras, quae nunc Romaniae partes sunt, a. 1930 publicavit Daco-Romana rerum gestarum studiosa, Virginia Vasiliu<sup>59</sup>. Fragmenta etiam 4 epistularum Simonettae publicavit editrix Bohema, Milena Linhartová, quae edendis *Epistulis et actibus nuntiorum apostolicorum apud imperatorem*, tempore, quo illi Pragae in Bohemia residebant (1592-1628), operam impendebat<sup>60</sup>.

Maximum haud dubie numerum epistularum, a Simonetta vel ad Simonettam datarum, si ad res Ucrainae et Ecclesiae Ruthenae unitae quodammodo pertinent, saepe in fragmentis e textu excerptis, edidit hucusque Athanasius Welykyj, Ordinis s. Basilii Magni sodalis. Qui in secundo et tertio volumine seriei suae, quae inscribitur *Litterae nuntiorum apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes*, anno 1959 publici iuris fecit 131 epistulas nuntii et 20 Caesaris Baroffii, annis 1607-1613 ad cardinalem Scipionem Borghese scriptas<sup>61</sup>; in primo autem volumine alterius seriei, *Litterae episcoporum historiam Ucrainae illustrantes* nuncupatae, a. 1972 edidit commercium epistularum Simonettae cum metropolita Adamo Hipatio Pociej (Potij), a. 1608 habito, et 7 epistulas Baroffii, annis 1612-1613 ad cardinalem Borghese missas<sup>62</sup>. Fragmenta instructionis Simonettae et eius litterarum commercium, in extenso vel in excerptis, a metropolita Andrea Šeptyckyj olim collecta, sodales Universitatis Catholicae Ucrainorum Romae a. 1964 ediderunt<sup>63</sup>.

Paucas epistulas Simonettae et Baroffii ad principes Farnesios datas et Farnesiorum ad eas responsa, in Tabulario Parmensi servata, a. 1970 publicaverunt in extenso (10 epistulas) sodales Instituti Historici Polonici Romae, Valerianus Meysztowicz et Wanda Wyhowska De Andreis<sup>64</sup>. Anno autem 1977 Philippus Brancucci, qui omnes instructiones, a Paulo V nuntiis apostolicis datas, elaborare et publici iuris facere sibi proposuit, divulgavit etiam (in cyclostylo) instructionem initialem Simonettae, in apparanda editione nixus exemplari in Tabulario Vaticano asservato (F. Borghese I 311-317, f. 52r-70r)<sup>65</sup>. Temptationes edendi epistularum commercii Simonettae claudit epistula Congregationis Rituum, 25 X 1608 ad nuntium nostrum scripta, sed non transmissa, quam a. 1988 Victor Gramatowski SJ publicavit<sup>66</sup>.

Cum tamen editiones supra memoratae magna ex parte imperfectae et non completae, non raro ad arbitrium selectae et e contextu narrationis avul-

<sup>58</sup> Cfr. Rykaczewski II, p. 97-109.

<sup>59</sup> Cfr. Vasiliu, p. 25-36, 49-51.

<sup>60</sup> Cfr. Linhartová IV/1, p. 141 (cfr. infra, N. 306); IV/2, p. 200, 244-245; IV/3, p. 319, 364.

<sup>61</sup> Cfr. Welykyj LNA II, p. 266-309 et III, p. 5-94.

<sup>62</sup> Cfr. Welykyj LE I, p. 43-45, 50-58.

<sup>63</sup> Cfr. Šeptyckyj I, p. 261-315.

<sup>64</sup> Cfr. Meysztowicz-Wyhowska II, p. 9-27 (EFEXXIII).

<sup>65</sup> Cfr. Brancucci, p. 119-131.

<sup>66</sup> Cfr. Gramatowski, p. 263-264; in p. 164 affert praeterea registrum minutae eiusdem epistulae.

sae sint, praeterea ab erroribus et mendis non vacare et aditu difficiles esse videantur, omnia supra nominata scripta, exceptis iis, quae in novissimis editionibus Valeriani Meysztowicz et Victoris Gramatowski divulgata sunt, originalibus innixi, iterum publici iuris facere constituimus.

Quod ad normas generales editionis, necnon sigla et abbreviationes attinet, easdem servavimus, quae in primo tomo "Actorum Nuntiaturae Polonae" usitatae et ad totam hanc seriem editionum receptae sunt.

*Adalbertus [Wojciech] Tygielski*

*Latine vertit Lucianus Olech*

